

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen

Case, John

Francofurtum, 1597

VD16 C 1242

Cap. V. - An prudentian sit virtus intellectualis, vel moralis? [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)

Opp.

Actio non est artis sed effectio solùm: ergo male respondetur arte non posse hominem abuti, si in actione ad summum bonum referatur. Antecedens est in fine huius capituli.

Resp.

Illic nomen artis ad mechanicam solùm restringitur, hic verò ad liberalem extenditur.

Vtrum actio & effectio differant.

Resp.

Actio & effectio sumuntur, vel

} Fusè, & sic sunt synonyma.	} Scribè, & sic effectio ad artem & opus, actio verò ad prudentiam propriè refertur.

Opp.

Actio & effectio ratione differunt.

Actio & effectio eadem sunt in predicamento actionis: ergo non differunt.

Resp.

Sunt re eadem, sed ratione differunt: nam actio immanens aliquando, effectio semper transiens dicitur.

C A P. V.

An prudentia sit virtus intellectualis, vel moralis?

An temperantia sit conservatrix prudentie?

GRADATIM ad summum venit Philosophus. Nam suo ordine, reliquis tractatis, iam de prudentia, postremo de sapientia disputat. Rectè olim Boëti-

US

us doctos quidem multos vidi, prudentes autem per paucos noui: artibus enim multę cōsecrantur scholę, sed prudētię; quę multis gradib⁹ omnes excellit artes, nullę. Hinc inueteratū est penē in puerbium, hominem esse probē doctum, sed parū prudentem: multis artib⁹ ornatum, sed simplicem: bonum virū, sed malum magistratum. Non equidem hęc inficias eo, quin Thales in cremo diu multumq; versatus sit multū sapiēs & parum prudens. Sed ista iā ætas requirit certē vt Homerus artem cum prudentia, prudentiā cum prouidentia ad vitam tutandā quærat: aliter fortasse, quamuis sit doctus, præ nimia charitate contabescat: Summa huius capit. paucis conclusionibus absoluitur: prima est quod expediat de prudentia dicere, secunda quod prudentis sit rectē consulere, tertia est quod prudens neq; de necessariis, neq; de illis quę fieri non possunt vllō modo deliberet, quarta quod prudentia nō sit scientia (est enim illa in cōtingentibus, hęc in necessariis) iterum illa demonstratione, hęc coniectura vtitur, quinta quod cum arte

Docti multi,
Prudentes
pauci.

Nota:

Ff 2 non coiri-

non cōcidat: ars enim externū prudentia internū respicit: ars in opere & effectione, prudentia in consilio & actione cernitur: ars deniq; solum verū, seu prudentia & verum & bonum intellectu efficit. Est enim prudētia moderatrix morum, est etiam habitus indagādi verum. Hinc in textu definitur bona animi affectio, id est virtus, quæ cum vera ratione coniuncta vim habet ad gerenda omnia, quæ ad vitam degendam pertinent. Est enim prudentiæ consilium dare, bonum à malo, verum à falso discernere, rectè cū aliis versari, perspicere occasiones, verbis solerter, rebus prouidenter uti, ad omnē consultationem & tempus & diligētiam adhibere, operam & oleum in rebus vanis minusque necessariis non perdere. Quippe duo sunt prudentiæ maximè infesta, stultitia nimirum & curiositas. Nō placet hīc tacitus id præterire, quod præclare hoc loco scribit philosophus, nempe in vlnis & amplexu veluti temperantiæ cōseruari prudentiam, Animus enim corruptus & deprauatus perdit ingeniū, delitiis mancipatus perdit consilium.

Distin.

Prudentiæ
munera.

Prudentiæ in-
festa duo.

Temperātia
cōseruat pru-
dentiam.

Distinctio prima questionis.

Considerari debet in prudentia	{	Subiectum, quod est intellectus practicus non voluntas.	
		Obiectum, quod est res actioni & consultationi subiecta.	
	{	Officium, quod est,	Virtutis moralis circumstantias praescribere.
Res futuras prospicere. Consilium dare. Totam reipub. curam suscipere.			
Par-tes	{	Recta ratio } quae pra-	} discuti-
		Solertia } Scientia, } Providentia, quae futura, Experientia, quae praeterita.	

Temperantia est conservatrix prudentiae,	{	1. Propter moderationem sensuum, quae saepe obsunt animo.
		2. Propter refrenationem affectuum, qui nocent ingenio.
		3. Propter suppressionem voluptatum & dolorum quae adversantur iudicio.
		4. Propter conservationem sanitatis, quam omnium maximè nutrit & tuetur temperantia.

Opp.

Prudentia non est in intellectu, ergo prudentia non est verus intellectus. Antecedens probatur, quia quicquid est in intellectu per oblivionem deleri potest, sed prudentia oblivione deleri non potest, ut habetur in fine huius capituli: ergo non est in intellectu.

Ff ij Resp.

Resp.

Deleri nō posse ait Philosophus, nō quod nō deleatur, sed quod propter firmitatē habitus hoc fiat raro & difficulter. Alii respondēt deleri non posse respectu obiecti, quod semper & omnibus in quotidiano vita vsu obijcitur, cum aliarum virtutum obiecta sic se non habeant.

Opp.

Obiectum prudentiæ est obiectum omnium virtutum moralium: ergo non est distincta virtus. Antecedens patet, quia res agenda obijcitur prudentiæ.

Resp.

Res agenda considera- tur, vel	{	Generatim, vt ad bonum voluntatis re-
		fertur, & sic est obiectum omnium virtutum.
	{	Speciatim, vt ad verum opus intellectus
		refertur, & sic est obiectum prudentiæ.

Opp.

Moralis philosophia est habitus agēdi vera cum ratione circa bona humana: ergo est prudentia.

Resp.

Moralis philosophia in genere, prudentia in specie hæc bona tractat.

Opp.

Prudentia vt est in textu perficit appetitum in ordine ad bonum: ergo non est mentis virtus, qua persiceret intellectum in ordine ad verum.

Resp.

Perficit dirigendo, non eliciendo actum, nam prescribit quid faciendum sit secundum omnes circumstantias in omni virtute morum.

CAP.